



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jus Canonicum Practice Explicatum, Seu Decisiones Casuum**

Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos, & ad consuetum  
Referendi modum accommodatæ. Opus Novum

Complectens alteram Decretalium medietatem, videlicet nonaginta duos  
Titulos, à Titulo XX. libri III. de Feudis usque ad finem

**Pichler, Vitus**

**Ingolstadii, 1734**

Decisio CVI. De Judæo uxurato ad fidem Catholicam converso, &  
Cotholicam in uxorem ducente, postea fugitivo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62204)



## TITULUS XXXIII.

De Conversione Infidelium,

DECISIO CVI.

De Judæo uxorato ad fidem Catho-  
licam converso, & Catholicam in uxo-  
rem ducente, postea fu-  
gitivo.

*SPECIES FACTI.*

**S**alomon Judæus, cælibem se  
fingens, in quadam urbe vi-  
cina non sine solenni ritu &  
pompa baptizatus, & paulò  
post etiam inter cives adlectus, Catho-  
licam puellam Otiliam in uxo-  
rem duxit; postquam verò plures

ex ea soboles suscepit, cum multis  
pecunijs sub prætextu negotiationis  
huic genti consuetæ, hinc inde mu-  
tuò acceptis clam perfidè aufergit,  
& non amplius redijt. Otilia re-  
lictæ viduitatis pertæsa, partim ut  
se prolesque suas faciliùs sustentaret,

par-



partim igne amoris aut libidinis in quemdam Studiofum ardens omni conatu ad novas cum hoc homine nuptias aspiravit, id quod sibi licitum esse autumabat, quod certis munitis intellexisset, Salomonem jam ante susceptam Fidem Christianam cum alia uxore Judaicæ sectæ copulatum fuisse, & hanc etiam

num vivere, ac propterea secundum secum initum Matrimonium fuisse nullum ob impedimentum ligaminis. Quia tamen Parochus huic Matrimonio assistere renuit, me accessit consilij causa.

### QUÆSTIO.

*An Ottilia in his circumstantiis licitè ac validè novum inire Matrimonium possit?*

Ottilia novas nuptias tam avide desideranti patrocinatur, quod Matrimonium semel valide contractum etiam apud Infideles sit insolubile, cum tam Jus Naturale quam Divinum indissolubilitatem induxerit, cum Matrimonium communiter definiatur esse conjunctio maris & foeminae indivisam, vitæ consuetudinem continens, & Deus in institutione Matrimonij jussit maritum adhærere uxori absque ulla definitione temporis. Gen. 2. Christus verò Matth. 19. dixerit: quod Deus conjunxit, homo non separet: ergo, cum Salomon illic Judæus actu habuerit uxorem,

quando contraxit cum Ottilia, & duas uxores simul habere, ac vivente adhuc priore aliam superinducere nec licitum nec validum sit Jure Divino & Naturali, ut habet communis sententia contra Lutherum definita in Tridentino s. 24. de Sacram. Matrim. can. 2. non valuit Matrimonium Ottiliæ; ergo nihil obstat, quò minus aliud contrahere ipsa integrum sit. 2. Salomon secundum omnem apparentiam nunquam factus est verus fidelis, sed fictè tantum suscepit baptismum, retinens pertinaciter in corde infidelitatem Judaicam: sed fidelis cum infideli initum Matrimonium non

va-



valet: ergo nec Matrimonium Salomonis & Otilia valuit. 3. Quamvis Jura Canonica permittant aliquando dissolvi Matrimonium inter infideles contractum, nempe pro casu, quo unus convertitur ad Fidem Catholicam, altera verò pars vel absolutè non vult cohabitare cum converso, vel non sine contumelia creatoris, h. e. sine maledicentia in Christum, vel sine sollicitatione conversi ad peccandum. per *can. 2. caus. 28. q. 2. c. 7. de divorce.* & textum S. Pauli *1. cor. 7.* sic ordinantis: *si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam:* non verò constat, quòd Salomonis conversi uxor noluerit cohabitare eidem, aut non sine contumelia creatoris: ergo dicendum est, ejus Matrimonium perdurasse, & non fuisse dissolutum per novum Matrimonium cum Otilia initum.

Ut verum fatear, studui & ego omni modo juvare miseram, derelictam, & prostitutam Otiliam, atque juvissem, si hæc duo satis probare potuisset. 1. quòd Salomon in Judaismo fuerit in conjugio, & uxor adhuc vivat vel vixerit tempore secundi Matrimonij initi. 2. quòd eadem uxor voluisset conversum sequi, ei pacificè & sine contumelia creatoris cohabitare: hoc enim in casu antèrius Matrimonium per alterum subsequens non fuisset disso-

lutum, consequenter istud posterius non fuisset validum, ac proin Otilia ad novum esset habilis; hæc siquidem est cõmunis Catholicorum ex *can. 2. & c. 7. citis.* desumpta interpretatio textus Paulini *1. Cor. 7.* ubi ait: *quòd si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi:* ergo à contrario, si infidelis non discedit, sed debite cohabitare cupit converso, iste manet subjectus servituti, & ligatus vinculo prioris Matrimonij. Sed Otilia nec antèrius Matrimonium, nisi ex auditu alieno (quod non sufficit) probare potuit, nec ullo modo animum & voluntatem prioris uxoris marito cohabitare cupientis, imò ex relatione aliorum potius credi & præsumi debet noluntas cohabitandi, cum mulieres Judææ soleant, ut ajunt, valde averleri maritos ad Christi Sacra transeuntes: ergo probare satis non potuit, prius Matrimonium perdurasse: & per novum, quod Salomon post conversionem contraxit eum Otilia, non fuisse dissolutum, consequenter suum Otilia Matrimonium fuisse invalidum: si autem hoc Matrimonium posterius fuit validum, frustra laborat Otilia modo aliud contrahere, nec permittetur contrahere ab Ordinario.

Ad ea, quæ in favorem Otiliae proposita sunt, ex jactis principibus haud



haud difficulter. Ad-1. quidem; quia, quamvis etiam Matrimonia Infidelium, & non-baptizatorum, sint indissolubilia, unicus tamen datur casus, quo Matrimonium inter infideles semel valide contractum, etiam consummatum, dissolvi Deus permittit, si nempe unus conjugum convertatur ad fidem, remanens autem in infidelitate nolit cohabitare converso, aut pacifice, ac sine contumelia Creatoris, per textum S. Pauli 1. Cor. 7. cit. ut ab Ecclesia explicatum can. 2. & 6. 7. cit. Ottilia autem non satis probat, priorem conjugem Judæam voluisse converso marito cohabitare, & quidem sine contumelia creatoris. Imò nec satis probat, Salomonem ante conversionem suam fuisse Matrimonio alio ligatum. Ad 2. N. Ma. licet enim perhidi Judæi sæpius decipiant, & fidei baptismum suscipiant, tamen ad presumentum in casu particulari

non est, utpote gravissimum peccatum, sed concludenter probandum; quod vix, & ne vix quidem, fieri poterit. Ad-3. hoc ipso, quòd non constet, an uxor Salomonis voluerit cohabitare converso sine contumelia creatoris vel non, non constat, an prius Matrimonium sit dissolutum vel non: si autem non constat, prius Matrimonium cessasse, pariter non constat, an non alterum Matrimonium post conversionem initum valuerit, & sic adhuc validum sit: cujusmodi dubio stante non est permittendus ad alias nuptias transitus.



DL